



**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitulum V. Cum appellationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](#)

184 Decret. Gregor. Lib. II. eod. Tit. in 6. Cap. V.

Not. vnic. Si quispiam legitimè ante sententiam appellans petit Apostolos sibi dāri, & Iudex expressè vel tacitè sibi neget, processus eius postea institutus non valet, hæc est explicatio, c. 1. *Cordi in principio & magis declaratur in c. Ab eo. b. s..*

CAPITULUM V.

Cum appellationibus.

P A R A P H R A S I S.

Si Iudex à quo appellatum, appellationem non admittat, quod legitima non sit (quodquidem friuolis appellationibus deferendum non est) appellans verò nihilo minus eam prosequatur, Iudex ad quem appellatum, si cognoverit, malè esse appellatum, remittere debet causam iuxta canonicas sanctiones, atque appellantem eodem die, in quo contra ipsum pronuntiatum, ad expensas condemnare; sin verò Iudex à quo appellationem admirerit, ei detulerit, tunc tametsi illegitima sit, ut appareat, Iudicem à quo non rectè detulisse, tamen quia ipse, quantum in se fuit, jurisdictionem à se abdicavit, appellationi deferendo, totius causæ decisio ad Iudicem, ad quem devoluta est, quare necesse non est causam remitti; intelligi autem hæc debent de appellatione facta ante sententiam, non autem de appellatione post sententiam.

S U M M A R I U M.

1. Etiam si judex nolit deferre appellationi, ea tamen parit effectum devolutium.
2. Judice à quo deferente appellationi ante sententiam, licet ea friuola fuerit, tota causa principalis devoluitur ad Iudicem ad quem.
3. Appellatione sententia intelligitur definitiva.
4. Licet judex à quo detulerit appellationi à definitiva, eā tamen non instituta, execu-
tio sententia judici à quo relinquenda.

Not. I. Etsi Iudex à quo appellationi deferre nolit, tamen parit effectum de-

volutium, ut appellans appellationem prosequi possit. c. Sape. 44. extra b. t.

Not. II. Si Judex à quo appellationi ante sententiam detulit, quamvis ea friuola & irrationabilis fuerit, tota causa principalis etiam defertur ad Iudicem ad quem, ita ut eam remittere non teneatur, æquum tamen est, ut remittat, si Iudex à quo propter reverentiam Iudicis superioris detulerat, vide dicta in c. *Interposta*. 70. §. ille. b. t.

Not. III. Appellatione sententia, si nihil adiiciatur, intelligi debet definitiva, cum hec sit principalis & ultima, quæ litem absolute finit.

Not. IV. Tametsi Iudex à quo detulerit appellationi à definitiva, tamen, si appellatio justificata non sit, sive Iudex ad quem cognoverit, bene judicatum & malè appellatum, tunc executio sententia relinqui debet Iudici à quo. sicuti docet *Ioan. Andr. & alij* in c. *Pastoralis*. 28. præterea de off. delegat.

CAPITULUM VI

Ab eo.

P A R A P H R A S I S.

Appellans intra dies 30. Apostolos instanter petere debet, alioquin præsumitur appellationi renuntiare, tametsi Procuratorem mittat ad prosequendam appellationem. Quod verò *Innoc. IV. in c. Vt supra 4. decrevit*, si Iudex à quo Apostolos postulanti non dederit intra dies 30, ut processus eius vltior (nisi appellationi renuntiatum sit) Iritus existat, id intelligi debet, si Iudex cum debita instantia, loco, & tempore congruo requisitos Apostolos expressè denegauit, vel per malitiam, aut negligentiam tempore illo dierum 30. tradere intermisit.

Not. vnic. Nisi appellans intra dies 30. Apostolos petat, & quidem instanter, appellationi renuntiare censemur. Dixi de hoc in c. 4. ext. ead. & videri potest *Clement. 2. cod. sit.*

C A P I -